

QUÆSTIO LXXXV.

De poenitentia, secundum quod est virtus.

- 1 utrum poenitentia sit virtus.
- 2 utrum sit virtus specialis.
- 3 sub qua specie virtutis contineatur.
- 4 de subiecto ejus.
- 5 de causa ejus.
- 6 de ordine ejus ad alias virtutes.

QUÆSTIO LXXXVI.

De effectu poenitentia.

- 1 utrum omnia peccata mortalia per poenitentiam auferantur.
- 2 utrum possint sine poenitentia tolli.
- 3 utrum possit unum peccatum remitti sine alio.
- 4 utrum poenitentia auferat culpam, remanente reatu.
- 5 utrum remaneant reliquæ peccatorum.
- 6 utrum auferre peccatum sit effectus poenitentia in quantum est virtus, vel in quantum est sacramentum.

QUÆSTIO LXXXVII.

De remissione venialium peccatorum.

- 1 utrum sine poenitentia peccatum veniale possit remitti.
- 2 utrum possit dimitti sine gratia infusione.
- 3 utrum peccata venialia remittantur per aspersionem aquæ benedictæ, & unctionem pectoris, & orationem dominicam, & alia hujusmodi.
- 4 utrum peccatum veniale possit remitti sine mortali.

QUÆSTIO LXXXVIII.

De reditu peccatorum per poenitentiam dimissorum.

- 1 utrum peccata per poenitentiam dimissa redeant simpliciter per sequens peccatum.
- 2 utrum aliquo modo per ingratitudinem redeant specialius secundum quædam peccata.
- 3 utrum redeant in æquali reatu.
- 4 utrum illa ingratitudo per quam redeant, sit speciale peccatum.

QUÆSTIO LXXXIX.

De recuperatione virtutum per poenitentiam.

- 1 utrum per poenitentiam restituantur virtutes.
- 2 utrum restituantur in æquali quantitate.
- 3 utrum restituantur poenitenti æqualis dignitas.
- 4 utrum opera virtutum per peccatum sequens mortificentur.
- 5 utrum opera mortificata per peccatum, per poenitentiam reviviscant.
- 6 utrum opera mortua, idest sine caritate facta, per poenitentiam vivificentur.

QUÆSTIO XC.

De partibus poenitentia in generali.

- 1 utrum poenitentia habeat partes.
- 2 de numero partium ejus.
- 3 quales partes sint.
- 4 de divisione ejus in partes subiectivas.

FINIS.

DI-



D
D I V I
T H O M Æ
A Q U I N A T I S
D O C T O R I S A N G E L I C I
S U M M Æ T H E O L O G I C Æ P A R S T E R T I A .

P R O L O G U S .

QUIA Saluator noster Dominus JESUS Christus, teste Angelo, populum suum saluum faciens a peccatis eorum, viam veritatis nobis in seipso demonstravit, per quam ad beatitudinem immortalis vite resurgendo pervenire possumus; necesse est ut ad consummationem totius theologicæ negotii, post considerationem ultimi finis humane vitæ, & virtutum, ac vitiorum, de ipso omnium Salvatore, ac beneficiis ejus humano generi præstitis nostra consideratio subsequatur.

Circa quam primo considerandum occurrit de ipso Salvatore.

Secundo, de Sacramentis ejus, quibus salutem consequimur.

Tertio, de fine immortalis vitæ, ad quam per ipsum resurgendo pervenimus.

Circa primum duplex consideratio occurrit. Prima est de ipso Incarnationis Mysterio, secundum quod Deus pro nostra salute factus est homo.

Secunda, de his que per ipsum Salvatorem nostrum, idest Deum incarnatum, sunt acta, & passa.

QUÆSTIO I.

De convenientia Incarnationis,

in sex articulis divisa.

Circa primum tria consideranda occurrunt. Primo quidem de convenientia Incarnationis Christi. Secundo de modo unionis Verbi Incarnati. Tertio de his quæ consequuntur ad hanc unionem.

Circa primum quærentur sex.

Primo, utrum conveniens fuerit Deum incarnari.

Secundo, utrum fuerit necessarium ad reparationem generis humani.

Tertio, utrum si non fuisset peccatum, Deus incarnatus fuisset.

Quarto, utrum principaliter sit incarnatus ad tollendum originale peccatum quam actuali.

Quinto, utrum conveniens fuerit Deum incarnari à principio mundi.

Sexto, utrum ejus Incarnatio differri deberet usque in finem mundi.

ARTICULUS I.

Utrum conveniens fuerit Deum incarnari.

III. dist. 1. quæst. 1. art. 1. & IV. cont. cap. XL. XLIX. LIII. LIV. & LV. & opusc. 111. cap. v. & VI. & op. 11. cap. CCVII. & CCVIII.

AD primum sic proceditur. Videtur quod non fuerit conveniens Deum incarnari. Cum enim Deus ab æterno sit ipsa essentia bonitatis, sic optimum est ipsum esse sicut ab æterno fuit. Sed Deus ab æterno fuit absque omni carne. Ergo convenientissimum est ipsum non esse carni unitum. Non ergo fuit conveniens Deum incarnari.

2. Præterea. Quæ sunt in infinitum distantia, inconvenienter junguntur; sicut inconvenienter junctura esset, si quis pingeret imaginem, in qua humano capiti cervix jungeretur equina. Sed Deus, & caro in infinitum distant; cum Deus sit simplicissimus, caro autem maxime composita, & præcipue humana. Ergo inconveniens fuit quod Deus carni uniretur humanæ.

3. Præterea. Sic distat corpus à summo spiritu, sicut malitia à summa bonitate. Sed omnino inconveniens esset quod Deus, qui est summa bonitas, malitiam assumeret. Ergo

(a) Nicolajus ab alio. (b) Ita edit. omnes, Codd. Camer. & Alcan, aliique: natura Dei est bonitas.

non fuit conveniens quod summus spiritus in-creatus corpus assumeret.

4. Præterea. Inconveniens est ut qui excedit magna, contineatur in minimo, & cui imminet cura magnorum, ad parva se transferat. Sed Deum, qui totius mundi curam gerit, tota rerum universitas capere non sufficit. Ergo videtur inconveniens quod inter corpusculum vagientis infantia lateat, cui parva putatur universitas; & tandem à scilicet suis absque ille regnator, atque ad unum corpusculum totius mundi cura transferatur, ut Volusianus scribit ad Augustinum (epist. cxxxv. al. 2. à med. inter oper. Aug.)

Sed contra. Illud videtur esse convenientissimum ut per visibilia monstraretur invisibilia Dei: ad hoc enim totus mundus est factus, ut patet per illud Apostoli Rom. 1. 20. *Invisibilia Dei per ea que facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Sed, sicut Damascenus dicit in princ. III. Lib. per Incarnationis mysterium monstratur simul bonitas, & sapientia, & justitia, & potentia Dei, vel virtus. Bonitas quidem, quoniam non despexit proprii plasmatis infirmitatem; justitia vero, quoniam homine victo, nam (a) alio quam homine fecit vincit, tyrannum; neque vi eripuit ex morte hominem; sapientia vero, quoniam invenit dissimillimam pretii decentissimam solutionem; potentia vero, sive virtus infinita, quia nihil est majus quam Deum fieri hominem. Ergo conveniens fuit Deum incarnari.

Respondeo dicendum, quod unicuique rei conveniens est illud quod competit sibi secundum rationem propriæ naturæ; sicut homini conveniens est ratiocinari, quia hoc convenit sibi, in quantum est rationalis secundum naturam suam. Ipsa autem natura Dei est (b) essentia bonitatis, ut patet per Dionysium 1. cap. de div. Nom. (lect. 2. & 3.) Unde quicquid pertinet ad rationem boni, conveniens est Deo. Pertinet autem ad rationem boni ut se aliis communique, ut patet per Dionysium 4. cap. de div. Nom. (cir. princ. lect. 1.) Unde ad rationem summi boni pertinet quod summum modo se creature communique: quod quidem maxime fit per hoc quod naturam creatam se sibi conjungit ut una persona fiat ex tribus, Verbo, anima, & carne, sicut dicit Augustinus XIII. de Trin. (cap. xvii. à princ.) Unde manifestum est quod conveniens fuit Deum incarnari.

Ad primum ergo dicendum, quod Incarnationis Mysterium non est impletum per hoc quod Deus fit aliquo modo à suo statu immutatus, in quo ab æterno fuit sed per hoc quod novo modo se creaturæ univit, vel potius eam sibi. Est autem conveniens ut creatura, quæ

quæ secundum rationem sui mirabilis est, non semper eodem modo se habeat. Et ideo sicut creatura incepit esse, cum prius non esset; ita convenienter cum prius non esset unita Deo in persona, postmodum ei fuit unita.

Ad secundum dicendum, quod uniri Deo in unitate personæ, non fuit conveniens carni humanæ secundum conditionem sue naturæ, quia hoc erat supra dignitatem ipsius; conveniens tamen fuit Deo secundum infinitam excellentiam bonitatis ejus, ut sibi eam uniret pro salute humana.

Ad tertium dicendum, quod quælibet alia conditio, secundum quam creatura quæcumque differt à Creatore, à Dei sapientia est instituta, & ad Dei bonitatem ordinata. Deus enim propter suam bonitatem, cum sit increatus, immobilis, & incorporeus, produxit creaturas mobiles, & corporeas. Et similiter malum pœnæ à Dei iustitia est introductum propter gloriam Dei. Malum vero culpæ committitur per recessum ab arte divinæ sapientiæ, & ab ordine divinæ bonitatis. Et ideo Deo conveniens esse potuit assumere naturam creaturæ, mutabilem, corpoream, & personalitatem subiectam; non autem fuit ei conveniens assumere malum culpæ.

Ad quartum dicendum, quod sicut Augustinus respondet in epist. ad Volusianum (cxxxvi. al. 111. aliquant. à princ.) non habet hoc christiana doctrina, quod ita sit Deus infusus carni humanæ, ut curam gubernandæ universitatis vel deseruerit, vel amiserit, vel ad illud corpusculum quasi contrariam transfulerit: hominum enim est iste sensus, nihil nisi corpora valentium cogitare. (cir. med.) Deus autem non movetur, sed virtute magnus est. Unde magnitudo virtutis ejus nullas in angusto sentit angustias. Non est incredibile, si verbum hominis transiens simul audiat à multis, & à singulis totum, quod Verbum Dei permanens simul ubique sit totum. Unde nullum inconveniens sequitur Deo incarnato.

ARTICULUS II.

Utrum necessarium fuerit ad reparationem generis humani Verbum Dei incarnari.

III. dist. 14. quæst. 111. art. 1. ad 3. & IV. dist. x. art. 1. ad 3. & dist. xliii. quæst. 1. art. 2. quæst. 1. ad 2. & IV. cont. cap. LV. & LV. & Psalm. xlv.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod non fuerit necessarium ad reparationem S. Th. Op. Tom. V.

(a) Ita mss. & edit. passim. In cod. Alcan. desunt sequentia sed homo, ut videtur, satisfacere potuit pro peccato: & max sic legitur: ita etiam videtur quod ei imputaretur ad deletionem peccati actum contrarium.

humani generis Verbum Dei incarnati. Verbo enim Dei, cum sit Deus perfectus, ut in primo habitu est (quæst. 14. art. 1. & 2.) nihil virtutis per carnem assumptam accrevit. Si ergo Verbum Dei incarnatum humanam naturam reparavit, etiam absque carnis assumptione cum potuit reparare.

2. Præterea. Ad reparationem humane naturæ, quæ per peccatum collapsa erat, nihil aliud requiri videbatur quam quod homo satisfaceret pro peccato. (a) Sed homo, ut videtur, satisfacere potuit pro peccato: non enim Deus ab homine plus requirere debet quam possit; & cum prior sit ad miserendum quam ad puniendum, à Dei sapientia est instituta, & ad Dei bonitatem ordinata. Deus enim propter suam bonitatem, cum sit increatus, immobilis, & incorporeus, produxit creaturas mobiles, & corporeas. Et similiter malum pœnæ à Dei iustitia est introductum propter gloriam Dei. Malum vero culpæ committitur per recessum ab arte divinæ sapientiæ, & ab ordine divinæ bonitatis. Et ideo Deo conveniens esse potuit assumere naturam creaturæ, mutabilem, corpoream, & personalitatem subiectam; non autem fuit ei conveniens assumere malum culpæ.

Ad tertium dicendum, quod sicut Augustinus respondet in epist. ad Volusianum (cxxxvi. al. 111. aliquant. à princ.) non habet hoc christiana doctrina, quod ita sit Deus infusus carni humanæ, ut curam gubernandæ universitatis vel deseruerit, vel amiserit, vel ad illud corpusculum quasi contrariam transfulerit: hominum enim est iste sensus, nihil nisi corpora valentium cogitare. (cir. med.) Deus autem non movetur, sed virtute magnus est. Unde magnitudo virtutis ejus nullas in angusto sentit angustias. Non est incredibile, si verbum hominis transiens simul audiat à multis, & à singulis totum, quod Verbum Dei permanens simul ubique sit totum. Unde nullum inconveniens sequitur Deo incarnato.

Sed contra. Illud per quod humanum genus liberatur à perditione, est necessarium ad humanam salutem. Sed Mysterium Divinæ Incarnationis est hujusmodi, secundum illud Joan. 111. 16. *Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret; ut omnis qui credidit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Ergo necessarium fuit ad humanam salutem Deum incarnari.

Respondeo dicendum, quod ad finem aliquem dicitur aliquid esse necessarium dupliciter. Uno modo, sine quo aliquid esse non potest; sicut cibus est necessarius ad conservationem humane vitæ: alio modo, per quod melius, & convenientius pervenitur ad finem; sicut equus necessarius est ad iter.

Primo modo Deum incarnari non fuit necessarium ad reparationem humane naturæ: Deus enim per suam omnipotentem virtutem poterat humanam naturam multis aliis modis reparare. Secundo autem modo neces-

A 2. sa-

fatium fuit Deum incarnari ad humanæ naturæ reparationem. Unde Augustinus dicit XIII. de Trin. (cap. x. parum à princ.) *Verum etiam ostendimus, non alium modum possibilem, Deo disuisse, cuius potestati omnia equaliter subiacent; sed sanandæ miseriæ nostræ convenientiorem alium modum non fuisse.*

Et hoc quidem considerari potest quantum ad promotionem hominis in bonum. Primo quidem quantum ad fidem, quæ magis certificatur ex hoc quod ipsi Deo loquenti credit: unde Augustinus dicit XI. de civit. Dei (cap. 11. à med.) *Ut homo fidentius ambularet ad veritatem, ipsa veritas Dei Filius homine assumpta constituit, atque fundavit fidem.* Secundo quantum ad spem, quæ per hoc maxime erigit: unde Augustinus dicit XIII. de Trin. (loc. cit.) *Nihil tam necessarium fuit ad erigendam spem nostram, quam ut demonstraretur nobis quantum diligeret nos Deus. Quid vero huius rei isto iudicio manifestius quam quod Dei Filius natura nostræ dignatus est inire consortium? Tertio quantum ad caritatem, quæ maxime per hoc excitatur: unde Augustinus dicit in Lib. de catechizandis rudibus (cap. iv. in princ.) *Quæ major est causa adventus Domini, nisi ut ostenderet Deus dilectionem suam in nobis? & postea subdit: Si amare pigebat, saltem redamare non pigeat. Quarto quantum ad rectam operationem, in qua nobis exemplum se præbuit: unde Augustinus dicit in quadam sermone de nativ. Domini (xxii. de tem. in med.) *Homo sequendus non erat, qui videri poterat: Deus sequendus erat, qui videri non poterat. Ut ergo exhiberetur homini, & qui videretur ab homine, & quem homo sequeretur, Deus factus est homo. Quinto quantum ad plenam participationem Divinitatis, quæ vera est hominis beatitudo, & finis humanæ vitæ: & hoc collatum est nobis per Christi humanitatem: dicit enim Augustinus in quadam sermone de nativ. Domini (xiiii. de temp. in princ.) *Factus est Deus homo, ut homo fieret Deus. Similiter & hoc utile fuit ad remotionem mali. Primo enim per hoc homo instruitur ne sibi diabolum præferat, & eum veneretur, qui est auctor peccati: unde Augustinus dicit XIII. de Trin. (cap. xvii. circ. princ.) *Quando quidem sic potuit Deo conjugii humana natura, ut fieret una persona, superbi illi maligni spiritus non ideo se audent homini preponere, quia non habent eum. Secundo per hoc instruitur, quanta sit dignitas humanæ naturæ, ne eam inquinemus peccando: unde Augustinus dicit in Lib. de vera relig. (cap. xvi. à princ.) *Demonstravit nobis Deus quam excessum locum inter creaturas habeat humana natura, in hoc quod hominibus in vero homine apparuit. Et Leo Papa dicit in serm. de nativ. (1. versus fin.) *Agnosce & Christiane dignitatem tuam; & divina consorti factus*******

*naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire. Tertio quia ad presumptionem hominis tollendam gratia Dei, nullis in nobis meritis precedentibus, in homine Christo commendatur, ut dicit Augustinus in XIII. de Trin. (cap. xvii. ante med.) Quarto quia superbia hominis, quæ maxime impedimento est ne inberetur Deo, per tantam Dei humilitatem redargui potest, atque sanari, ut dicit Augustinus ibidem. Quinto ad liberandum hominem a servitute peccati: quod quidem, ut Augustinus dicit XIII. de Trin. (cap. xiiii. in princ.) *fieri debuit sic ut diabolus iustitia hominis Jesu Christi superaretur: quod factum est Christo satisfaciente pro nobis. Homo autem purus satisfacere non poterat pro toto humano genere, Deus autem satisfacere non debebat: unde oportebat Deum & hominem esse Jesum Christum. Unde & Leo papa dicit in serm. de nativ. (loc. cit.) *Suscipitur a virtute infirmitas, à majestate humilitas; ut quod nostris remediis congruebat, unus atque idem Dei, & hominum mediator, & mori ex uno, & resurgere possit ex altero. Nisi enim esset verus Deus, non afferret remedium: nisi esset verus homo, non præberet exemplum. Sunt autem & aliæ plurimæ utilitates que consecutæ sunt supra apprehensionem sensus humani.***

Ad primum ergo dicendum, quod ratio illa procedit secundum primum modum necessarii, sine quo ad finem perveniri non potest.

Ad secundum dicendum, quod aliqua satisfactio potest dici dupliciter sufficiens. Uno modo perfecte, quia est condigna per quamdam adæquationem ad recompensationem culpæ commissæ: & sic hominis puri satisfactio sufficiens esse non potuit pro peccato: tum quia tota humana natura erat per peccatum corrupta; nec bonum alicujus personæ, vel etiam plurium poterat per æquiparantiam totius naturæ detrimentum recompensare: non etiam quia peccatum contra Deum commissum quandam infinitatem habet ex infinitate divinæ majestatis: tanto enim offensæ est gravior, quanto major est ille in quem delinquitur. Unde oportuit ad condignam satisfactioem ut actus satisfaciens haberet efficaciam infinitam, utpote Dei, & hominis existens. Alio modo potest dici satisfactio hominis esse sufficiens imperfecte, scilicet secundum acceptionem ejus qui est ea contentus, quamvis non sit condigna: & hoc modo satisfactio puri hominis est sufficiens. Et quia omne imperfectum præsupponit aliquid perfectum, à quo sustentetur, inde est quod omnis puri hominis satisfactio efficaciam habet à satisfactioe Christi.

Ad tertium dicendum, quod Deus assumendo carnem, suam majestatem non minuit; & per consequens non minuitur ratio reveren-

rentiæ ad ipsum quæ augetur per augmentum cognitionis ipsius. Ex hoc autem quod nobis appropinquare voluit per carnis assumptionem, magis nos ad se cognoscendum attraxit.

ARTICULUS III.

Utrum si homo non peccasset, Deus incarnatus fuisset.

III. dist. 1. quest. 1. art. 3. & IV. dist. XLIII. quest. 1. art. 2. quest. 1. ad 2. & ver. quest. xxix. art. 4. ad 3. & I. Tim. 1.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod si homo non peccasset, nihilominus Deus incarnatus fuisset. Manente enim causa, manet effectus. Sed sicut Augustinus dicit XIII. de Trin. (cap. xvii. in princ.) *alia multa sunt cogitanda in Christi Incarnatione, præter absolute in peccato, de quibus dictum est (art. præc.) Ergo etiam si homo non peccasset, Deus incarnatus fuisset.*

2. Præterea. Ad omnipotentiam divinæ virtutis pertinet ut opera sua perficiat, & se manifestet per aliquem infinitum effectum. Sed nulla pura creatura potest dici infinitus effectus, cum sit finita per suam essentiam: in solo autem opere Incarnationis videtur præcipue manifestari infinitus effectus divinæ potentie, per quam in infinitum distantia conjunguntur, in quantum factum est quod homo esset Deus: in quo etiam opere maxime videtur perfici universum, per hoc quod ultima creatura, scilicet homo, primo principio conjungitur, scilicet Deo. Ergo etiam si homo non peccasset, Deus incarnatus fuisset.

3. Præterea. Humana natura per peccatum non est facta capax gratiæ. Sed post peccatum capax est gratiæ unionis, quæ est maxima gratia. Ergo si homo non peccasset, humana natura hujus gratiæ capax fuisset; nec Deus subtraxisset humanæ naturæ bonum cujus capax erat. Ergo si homo non peccasset, Deus incarnatus fuisset.

4. Præterea. Prædestinatio Dei est æterna. Sed dicitur Rom. 1. 4. de Christo: *Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute.* Ergo etiam ante peccatum necessarium erat Filium Dei incarnari, ad hoc quod Dei prædestinatio impleteretur.

5. Præterea. Incarnationis Mysterium est primo homini revelatum, ut patet per hoc quod dixit (Gen. 1. 23.) *Hoc nunc et ex vobis meli, &c.* quod Apostolus dicit esse magnum sacramentum in Christo, & in Ecclesia, ut patet Ephes. v. 3. Sed homo non potuit esse præ-

cius sui casus eadem ratione quæ nec Angelus, ut Augustinus probat XI. super Genes. ad lit. (cap. xviii.) Ergo etiam si homo non peccasset, Deus incarnatus fuisset.

Sed contra est quod Augustinus dicit in Lib. de verbis Domini, exponens illud quod habetur Luc. xix. *Venit filius hominis querere, & salvum facere quod perierat.* (serm. xxxvi. cap. ult. sed exprelsius in Lib. de verb. Apost. serm. viii. cap. 11. circ. princ.) Ergo si homo non peccasset, filius hominis non venisset: & I. Tim. 1. super illud, *Christus venit in hunc mundum, ut peccatores salvos faceret,* dicit Glossa (ord. Aug. Lib. de verb. Apost. serm. ix. circ. princ.) *Nulla causa veniendi fuit Christo, nisi peccatores salvos facere.* Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla est medicinæ causa.

Respondeo dicendum, quod aliqui circa hoc diversimode opinantur. Quidam enim dicunt, quod etiam si homo non peccasset, Dei Filius incarnatus fuisset. Alii vero contrarium asserunt: quorum quatuor magis assentiendum videtur.

Ea enim quæ ex sola Dei voluntate proveniunt supra omne debitum creaturæ, nobis innotescere non possunt, nisi quatenus in Sacra Scriptura traduntur, per quam divina voluntas nobis innotescit. Unde cum in Sacra Scriptura ubique Incarnationis ratio ex peccato primi hominis assignetur, convenientius dicitur, Incarnationis opus ordinatum esse à Deo in remedium contra peccatum; ita quod, peccato non existente, Incarnatio non fuisset. Quamvis potentia Dei ad hoc non limitetur: potuisset enim, etiam peccato non existente, Deus incarnari.

Ad primum ergo dicendum, quod omnes aliæ causæ quæ sunt assignatæ (art. præc.) pertinent ad remedium peccati. Si enim homo non peccasset, perfusus fuisset lumine divinæ sapientiæ, & justitiæ rectitudine perfectus à Deo ad omnia necessaria cognoscenda, & agenda. Sed quia homo, deserto Deo, collapsus erat ad corporalia, conveniens fuit ut Deus carne assumpta etiam per corporalia ei salutis remedium exhiberet. Unde dicit Augustinus super Joan. 1. *Verbum caro factum est* (tract. 11. circ. fin.) *Caro te obsecraverit, caro te sanat; quoniam sic venit Christus, ut de carne carnis, nis vitæ extingueret.*

Ad secundum dicendum, quod in ipso modo productionis rerum ex nihilo divina virtus infinita ostenditur: ad perfectionem etiam universi sufficit quod naturali modo creatura ordinetur in Deum sicut in finem. Hoc autem excedit limites perfectionis naturæ ut creatura uniatu Deo in persona.

Ad tertium dicendum, quod duplex capa-

judex veniebat, tanto præconum serjes longior præcedere debebat. Quarto ne fervor fidei temporis prolixitate tepelceret, quia circa finem mundi frigidet caritas multorum. Unde Luc. XVIII. 8. dicitur (a). Cum filius hominis veniet, putas inveniet fidem in terra? Ad primum ergo dicendum, quod caritas non differt antice subvenire, salva tamen negotiorum opportunitate, & personarum conditione. Si enim medicus statim à principio ægitudinis medicinam daret infirmo, minus proficeret, vel magis læderet quam juvaret. Et ideo etiam Dominus non statim à principio Incarnationis remedium humani generi exhibuit, ne illud contineretur ex superbia, si prius suam infirmitatem non cognosceret.

Ad secundum dicendum, quod Augustinus ad hoc respondet in Lib. de sex questionibus Paganorum (epist. cxi. q. x. quæst. 11. inter med. & fin.) dicens, quid tunc voluit Christus hominibus apparere, & apud eos predicari, suam doctrinam, quando sciebat, quod ubi sciebat esse qui in eum fuerant credituri. His enim temporibus, & his in locis, quibus Evangelium, ejus non est predicatum, tales omnes in ejus predicatione futurus esse præsciebat, quales non in quodammodo, sed tamen multo in rebus corporali presentia fuerant, qui nec in rebus, suscipiatis ab eo moribus, credere voluerunt. Sed hanc responsionem reprobandam id Augustinus in Lib. de perseverantia (cap. ix. non procul à fin.) dicit: Numquid possumus dicere, Tyrios, & Sidonios talibus apud virtuosius factis credere voluisse, aut credituros non fuisse, si fierent, cum ipse Deus attestet eis, quod adhuri essent, magno humanitatis pensitiam, si in eis facta essent divinarum illa signa virtutum? Proinde, ut ipse solvens subdit (cap. xi. in princ.) sicut Apostolus ait, non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei, qui his quos prævidit, si apud eos facta essent, suis miraculis crederent, quibus voluit, subvenit; alii autem non subvenit, de quibus in sua predicatione occurrit quidem, sed aliud iuste judicavit. (b) Itaque misericordiam ejus in his qui liberantur, & veritatem in his qui puniuntur, sine dubitatione credamus.

Ad tertium dicendum, quod perfectum est prius imperfecto, in diversis quidem tempore, & natura (oportet enim quod perfectum sit quod alia ad perfectionem adducit; sed in uno & eodem imperfectum est prius tempore, et si sit posterius natura. Sic ergo imperfectioem nature humane duratione præcedit eterna Dei perfectio; sed sequitur ipsam consummata perfectio ejus in unione ad Deum.

(a) Pulgata: Verumtamen filius hominis veniens putas, &c. (b) Ita cum Augustino inf. & aliis multis. Ita. In cod. Aicau. obscure ita quod.

ARTICULUS VI.

Utrum Incarnatio differri debuisset usque ad finem mundi.

Ad sextum sic proceditur. Videtur quod Incarnationis opus differri debuisset usque in finem mundi. Dicitur enim in Psalm. xxi. Senatus mea in misericordia uberi; id est in nobilitate, ut Glossa (interl. & Aug. in hunc loc.) dicit. Sed tempus Incarnationis est maxime tempus misericordie, secundum illud Psalm. cxi. 14. Quoniam venit tempus misericordie ejus. Ergo Incarnatio differri debuit usque in finem mundi.

Præterea. Sicut dictum est (art. præc. ad 3.) perfectum in eodem tempore est posterius imperfecto. Ergo illud quod est maxime perfectum, debet esse omnino ultimum in tempore. Sed summa perfectio humane nature est in unione ad Verbum: quia in Christo complacuit omnem plenitudinem Divinitus inhabitare, ut Apostolus dicit Coloss. i. Ergo Incarnatio differri debuit usque in finem mundi.

Præterea. Non est conveniens fieri per duo quod per unum fieri potest. Sed unus Christi adventus sufficere poterat ad salutem humane nature, qui venit in fine mundi. Ergo non oportuit quod antea veniret per Incarnationem; & ita Incarnatio differri debuit usque in finem mundi.

Sed contra est quod dicitur Habac. 111. 2. In medio annorum notum facies. Non ergo debuit Incarnationis Mysterium, per quod mundo innovit, usque in finem mundi differri.

Respondet dicendum, quod sicut non fuit conveniens Deum incarnari à principio mundi; ita non fuit conveniens quod Incarnatio differretur usque in finem mundi.

Quod quidem apparet primo ex unione divina, & humane nature. Sicut enim dictum est (art. præc. ad 3.) perfectum uno modo tempore præcedit imperfectum, alio modo à converso imperfectum tempore præcedit perfectum. In eo enim quod de imperfecto fit perfectum, imperfectum tempore præcedit perfectum; in eo vero quod est causa perfectionis efficiens, perfectum tempore præcedit imperfectum. In opere autem Incarnationis utrumque concurret: quia natura humana in

limitis: ubi dicitur: In cod. Aicau. obscure ita quod.

ipsa incarnatione est perducta ad summam perfectionem: & ideo non deuit quod à principio humani generis incarnatio facta fuisset. Sed ipsum Verbum incarnatum est perfectio humana natura causa efficiens, secundum illud Joan. 1. 16. De plenitudine ejus nos omnes accepimus; & ideo non debuit incarnationis opus usque in finem mundi differri; sed perfectio gloriæ, ad quam perducenda est ultimo natura humana per Verbum incarnatum, erit in fine mundi.

Secundo ex effectu humane salutis. Ut enim dicitur in Lib. de Oq. vet. & novi Testam. (quæst. lxxxiii.) in potestate dantis est, quando, vel quantum velit misereri. Venit ergo, quando & subveniri debere scivit, & gratum futurum beneficium. Cum enim languore quodam humani generis, obsolescere cœpisset cognitio Dei inter homines, & mores immutarentur, eligere dignus est Abraham, in quo forma esset renovatae notitie Dei, & morum: & cum adhuc reverentia legnior esset, postea per Moysem legem litteris dedit: & quia eam gentes spreverunt, non se subjicientes ei, neque hi qui acceperunt, eam servaverunt, motus misericordie Dominus misit Filium suum, qui data omnibus remissione peccatorum, Deo Patri illius justificatis offerret. Si autem hoc remedium differretur usque in finem mundi, totaliter Dei notitia, & reverentia, & morum honestas abolita fuisset in terris.

Tertio apparet hoc fuisse conveniens ad manifestationem divine virtutis, quæ pluribus modis homines salvavit, non solum per fidem futuri, sed etiam per fidem præsentis, & præteriti.

Ad primum ergo dicendum, quod Glossa illa exponit de misericordia perducende ad gloriam. Si tamen referatur ad misericordiam exhibitam humano generi per incarnationem Christi, sciendum est, quod, sicut Augustinus dicit in Lib. I. Retrad. (cap. xxvi. ante med.) tempus incarnationis potest comparari juventuti humani generis propter vigorem, fervoremque fidei, quæ per dilectionem operatur; senectuti autem, quæ est sexta ætas, propter numerum temporum, quia Christus venit in sexta ætate. Et quamvis in corpore non possit simul esse juvenis, & senectus; potest tamen simul esse in anima, illa propter alacritatem, ista propter gravitatem. Et ideo alicubi in Lib. lxxxiii. Q. (quæst. xliv. in med.) dicit Augustinus, quod non oportuit divinitus venire magistrum, cujus imitatione humanum genus in mores optimos formaretur, nisi tempore juventutis. Alibi autem (Lib. I. de Gen. cont. Manich. cap. xxxiii.) dicit, Christum in sexta ætate humani generis, tamquam in senectute, venisse.

S. Th. Op. Tom. V.

Ad secundum dicendum, quod opus incarnationis non solum est considerandum ut terminus motus de imperfecto ad perfectum, sed etiam ut principium perfectionis in humana natura, ut dictum est (in corp. art.)

Ad tertium dicendum, quod, sicut dicit Chrysostomus super illud Joan. 111. Non misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum (hom. xxvii. inter princ. & med.) duo sunt Christi adventus: primus qui, dem, ut remittat peccata; secundus, ut judicet mundum. Si enim hoc non fecisset, universi simul perditii essent: omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei. Unde patet quod non debuit adventum misericordie differre usque in finem mundi.

QUÆSTIO II.

De modo unionis Verbi incarnati,

in duodecim articulos divisa.

Deinde considerandum est de modo unionis Verbi incarnati: & primo quantum ad ipsam unionem, secundo quantum ad personam assumentem; tertio quantum ad naturam assumptam.

Circa primum quærentur duodecim. Primo, utrum unio Verbi incarnati sit facta in natura.

Secundo, utrum sit facta in persona. Tertio, utrum sit facta in supposito, vel hypostasi.

Quarto, utrum persona vel hypostasis Christi post incarnationem sit composita.

Quinto, utrum sit facta aliqua unio anime, & corporis in Christo.

Sexto, utrum natura humana fuerit unita Verbo accidentaliter.

Septimo, utrum ipsa unio sit aliquid creatum.

Octavo, utrum sit idem quod assumptio.

Nono, utrum unio duarum naturarum sit maxima unionum.

Decimo, utrum unio duarum naturarum in Christo fuerit facta per gratiam.

Undecimo, utrum eam aliqua merita præcesserint.

Duodecimo, utrum gratia unionis fuerit homini Christo naturalis.